



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

55. An qui ignoranter Ordinatus fuit simoniace, si solvat amico pecuniam datam, incurrat suspensionem, & quid de beneficio ita similiter obtento?
Ex parte 11. tractat[u] 5. & Misc. resolut. 16.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

RESOL. LI.

An si quis renunciavit patrimonium post susceptum Ordinem, incurrat suspensionem? Ex p. 5. tract. 10. Ref. 57.

Ad hoc dubium libet mihi respondere cum verbis Turrian. de censur. lib. 5. disp. 46. dub. 1. ubi sic ait: Quæri potest an incurratur suspensio ipso iure, si post susceptum Ordinem fiat renunciatio rei donatæ? De hac materia specialiter Concil. Trident. sess. 21. cap. 2. prohibuit alienationes rei donatæ ad Ordines suscipiendos sine licentia Episcopi, donec habeat ordinatus alia bona, ex quibus vivere possit, & sine dubio violatio hujus præcepti ex objecto peccatum est grave, sed non video suspensionem impositam esse propter tale peccatum. Ita Turrianus cui adde Gordonum tom. 2. lib. 7. quest. 15. cap. 12. § 6. n. 24. in fine.

RESOL. LII.

An Ordinatus sine titulo cum sola fideiussione alimentorum sit suspensus? Ex p. 5. tract. 10. Ref. 48.

Respondeo negativè, quia causa legis condendæ & mens legislatoris est attendenda, ut patet ex l. nominis tui, ff. de verb. signif. & docet Patritius vol. 3. conf. 16. num. 20. 21. & 22. quia mens & anima ipsius legis est ratio, quæ ubicumque habet locum, ubi locum habet legis dispositio, etiam quod esset contra jus commune, ex l. à Titio, ff. de verb. signif. Sed mens & causa finalis, ob quam dispositio Concilii Trid. sess. 21. cap. 2. cavet ne dentur Ordines facti non habentibus beneficium, vel pensionem, aut patrimonium, ea fuit, ne Clerici mendicent: ergo quoties providetur ut sit cum fideiussione alimentorum mendicanti hujusmodi, satisfactum est menti, & causæ finali legis, & consequenter dispositioni, & idè sic ordinatus non incurrit suspensionem. Ita Grilenzonius conf. 14. per totum.

RESOL. LIII.

An ignoranter promittens Episcopo ab eo alimenta non petiturus, si ordinetur absque titulo, incurrat suspensionem?

Et quid de Episcopo in prædicto casu?
Et docetur in prædicto casu non excusari ignorantiam juris. Ex p. 5. tract. 10. Ref. 54.

Respondeo quòd cap. pen. de simon. qui ordinat aliquem accepta ab eo promissione, aut juramento, quòd non petet ab eo beneficium, aut alimenta: item cum tali promissione eum præsentans ad Ordinem, suspenduntur per triennium, ille à collatione, hic ab executione Ordinum: ordinatus verò ab Ordine sic suscepto, donec à Papa absolvatur, quod cap. per tua nobis 37. eodem tit. extenditur ad eum, qui nesciebat id esse illicitum. Sed hoc intelligendum quoad forum externum, in quo præsumitur deliquisse, ut Suarez disp. 31. scilicet. 1. num. 34. & Coninch de Sacram. disp. 16. dub. 5. num. 37. observant, quibus etiam adde Hurtadum tract. de susp. disp. 11. num. 37. Vnde sic est intelligendus Gordonus tom. 2. lib. 7. quest. 15. § 6. cap. 12. num. 13. asserens in tali casu non excusari ignorantem juris: est, inquam intelligendus quoad forum exterius, non autem interius.

Tom. V.

RESOL. LIV.

An qui fuit Ordinatus, ipso nesciente per munera, incurrat suspensionem, si postea hoc ratum habeat? Ex part. 5. tract. 10. Ref. 56.

Affirmativam sententiam tenet Avila de cens. sup. hoc leg. doct. Ref. in 2. 2. quest. 100. artic. ultim. ad 3. ubi etiam loquitur de promissione facta ab inimico fraudulenter (quo casu secundum omnes non incurritur suspensio) addit Div. Thom. nisi forte postmodum patetò consenserit, solvendo quod fuit promissum, & confirmatur; nam licet ille, qui non ratificando pactam solvit pecuniam se ignorante promissam ab amico, ne amicus patiatur hanc jacturam, non incurrit simoniæ pœnas ut tradit Navarr. conf. 10. de simonia num. 7. at verò si ratificat, & solvit, incurrit, ut efficaciter probat Navarr. ibidem, idè quæ tenet glossa cap. penult. de elect. ver. ratum non habente, ubi dicit, Alias si postea consenserit, idem esset ac si ab initio procurasset.

2. Verum ego negativæ sententiæ adhæreo cum Henriquez lib. 13. cap. 37. n. 2. in glossa lit. E. quia ut aliena simonia non impedit veram receptionem Ordinum, ita neque executionem illius, quando inculpate recipitur. Imò plus addit Henriquez, nempe non incurritur suspensionem, vel irregularitatem ex eo, quòd post ordinationem sciens amicum ejus nomine promississe, aut dedisse amico, hic enim quamvis ex prava intentione peccaret, non sit suspensus, quando nullo externo signo induxerit amicum, ut esset causa simoniæ ordinationis, & nostram sententiam tenet etiam Bonacina de censuris. disp. 3. punct. 5. § 1. num. 9. ubi sic ait: Recipiens Ordines simoniacè, sed bona fide & ignoranter, non incurrit suspensionem: cum ignorantia excuset à censuris, ut accidit quando pater ipso ignorante dedit Episcopo pecuniam, ut filio conferret Ordines, & hoc verum videtur, quamvis ille, qui ignoranter ordinatus est per simoniam, ratificet postea promissionem factam ab amico, nam ratihabitio non comparatur mandato in pœnis, nisi in jure exprimat. Ita ille, & ego.

RESOL. LV.

An qui ignoranter Ordinatus fuit simoniacè, si solvat amico pecuniam datam, incurrat suspensionem, & quid de beneficio similiter obtento? Ex part. 1. tract. 5. & Misc. 5. Refol. 16.

Quoad primum dubium libet mihi respondere cum verbis Stephani Baunij in praxi beneficiorum disput. 16. quest. 62. dub. 6. sic asserentis: An autem hæc illum pœna similiter stringat, cum eodem ignaro ac nesciente, Episcopo pecunia est data, ut eum in ordinatorum numerum referret? idem eo, ad lin. 2. non fuit olim omnium Doctorum judicium. Pro affirmante fecere Summistæ veteres ferè omnes Sylv. Armilla, Angelus verb. simonia, & suspensio.

2. Pro negativa cæteri, causam ita affirmandi habuere unicam, sed firmam, quia æquitatem pro fundamento, pro ratione justissimam Papæ voluntatem habet. Enim verò scribit Bonifacius Papa VIII. nolle se sententiis per statuta quorumcumque ordinariorum prolati, ligari ignorantes, dum tamen eorum ignorantia crassa non fuerit, aut supina cap. ut animarum, de constit. in 6. ignorantem ergo sua causa factam esse simoniam,

R

eorum

eorum qui scientes peccent, poena propria non afficit.

3. Confirmatur. Cum Pontifex aequitatem tueatur, servetque in iubendo, sic ejus mandata capi debent, ut ea sicut ratio largitur, interpretationis benignitate temperemus. Quare cum quidpiam secus quam temperat, per inscitiam sit, aut necessitatem, aliquam gravem si id non debet poenae transgressori- bus positae subesse, quia non est tum improbabile, tum ejusmodi temporibus concedere, ut à prae- scriptione verborum & lege discendi possit. Deinde quis credat velle eum, ut poenis earumque acerbitate teneatur, qui in legem non commisit? At qui igno- rans facit quod illa vetat, ejus violatam proprie non est reus, quam hæc ergo sui transgressori poenam in- fligit, sustinere non debet.

4. Quid si postea amico pecuniam, quam ille Episcopo sua causa est largitus, rependat? Si id cha- ritate inductus facit, nempe ne amicis doleat, ne rei pro se ordinatori datae carentia damnum ferat, ne ingratus non reddendo dicatur, & audiat, pro certo habeo, à conscientiae aequitatisque lege impetrari posse, ut ei restituatur integra sine crimine. Quod si è contra non amicitiae, non gratitudinis servandae le- gem habet objectam oculis, sed quidpiam aliud, si quod ista exigit, non refert gratiam, parque acceptis reddere satagit, sed factam causa sua simoniam, res- titutione numeratæ pro se pecuniae approbare, ut tunc labe in illum istiusmodi culpæ cadit, ita & quæ illam poenae consequuntur, in caput suum, cer- tumque arcessit salutis suæ ac honoris interitum: ita Navarrus & alii. Hucusque Baunius: cui adde Ca- strum Palaum tom. 3. tractat. 13. cap. 3. questione 24. num. 3.

5. Sed an idem dicendum sit quoad illum qui be- neficium ignoranter simoniace adeptus est, quia amicus pecuniam collatori dedit? affirmativè respon- det sapientissimus Lessius lib. 2. de just. cap. 35. dub. 25. num. 144. ubi sic ait: In hoc tamen casu difficultas est; utrum si post obtentum beneficium consentias, solvendo pecuniam per alium promissam, vel refun- dendo solutam, tenearis resignare beneficium, & restituere fructus perceptos?

6. Ad quam respondendum, si non consentias in factum, alterius ratum habendo contractum, seu promissionem simoniacam amici, sed solum ex amicitia solvas id, quod ipse amore tui dedit vel promisit; ne videlicet ipse tua causa damnum sentiat, non tenearis restituere, imò nec peccas; ut rectè Navarrus libro 5. consil. 10. de simonia probat; illud enim solvere ex amicitia, ne amicus gravetur, non est malum, neque est approbare factum amici: sicut parens solvendo debita filii, quæ ipse malè con- traxit, non approbat facta illa, in quibus contraxit; sed id facit ex amore filii, ne ipse infamis habeatur. Si verò consentias approbando factum amici, jam incurris simoniam, & tenearis resignare be- neficium, & fructus restituere; juxta Div. Tho- mam artic. 6. ad 3. qui id colligit ex dicto cap. sicut ruit. Idem sentit Panormit. & insinuat Navarrus supra.

7. Contrarium tamen, id est, quod non teneatur etiam in hoc casu resignare, docet Adrianus quodlib. 9. artic. 3. littera C. Ratio est, quia illa rati- ficatio; quæ fit post legitimam collationem, & jure acquisitum, non potest eam inficere, aut simoniacam efficere. Sicut (inquit) si quis pro beneficio sibi gratis collato postea animo mercimoniali pecuniam solveret, non inficeretur, nec irrita redderetur prior collatio legiti- me facta. Idem tenet Tancredus, ut refert Gloss. in dict. cap. sicut. Nec obstat ratihabitionem retro- trahi, & mandato comparari reg. 10. in 6. quia id

intelligendum in iis, quæ pendunt à sensu rati- ficantis, non autem quæ antea absolute & plenè pe- acta. Similiter non officit dictum cap. sicut, ubi sic habetur; Ex eo, quod contra prohibitionem, & vo- luntatem tuam (à qua postmodum minime recessisti) aliquis te penitus ignorante, pecuniam promisit & exol- vit, nihil debet tibi ad poenam, vel culpam imputari, nisi postea consenseris pecuniam solvendo promissam, aut reddendo solutam; quia hinc nihil aliud sequitur, quam aliquid debere tibi in culpam vel poenam imputari, si consenseris in factum alterius. In po- nam, vel culpam, inquit, non autem in poenam & culpam; & quamvis diceret in poenam & culpam, non tamen inde sequitur collationem, vel confirma- tionem priorem fuisse irritam, aut beneficium debere dimitti: potest enim intelligi de poena ferenda. Hæc sententia videtur mihi valde probabilis. Fateor tamen talem mereri privari per sententiam causa cognita. Et hæc omnia docet Lessius ubi supra quæ valde notanda sunt, possunt enim in praxi facilius occur- rere, & de hac difficultate à me etiam alibi dictum est. Vide tamen Castrum Palaum ubi sup. punct. 25. in 3. num. 3.

RESOL. LVI.

An, si quis suscipiat duos Ordines majores eodem die incurrat ipso facto suspensionem?

Idem dicendum est, si suscipiat eodem die minores Or- dines cum Subdiaconatu.

Et an hoc investigatur, non solum quando quis sumeret duos Ordines eodem die naturali, sed etiam eodem die juris fictione Canonica?

Et an Episcopus possit simul Ordines minores cum Subdiaconatu conferre, ubi vigerit de hoc Consti- tutio ante Concilium Tridentinum? Ex p. 5. tract. 10. Resol. 36.

§. I. Affirmativam sententiam docet ex Navarro Turrianus de cens. lib. 5. disputat. 46. dub. 1. ubi sic ait. Prædicta suspensio sumitur ex cap. lites- ras, de tempore ordin. circa quod caput dubitari solet an ibi sit lata ipso facto suspensio, vel imponente ferenda? Et communis sensus videtur assertum esse suspensionem latam. Ita ille, qui hoc intelligit non solum quando quis sumeret duos Ordines ea- dem die naturali, sed etiam eodem die juris fictione canonica, v. g. prohibitum est die Sabbati unum Ordinem suscipere, & alium die Dominico matutino tempore, etiam servato jejuniis Sabbati; talis enim dicitur unus dies juris fictione, & sumitur ex Leo- ne Papa epist. 79. capite 1. & habetur cap. quod à Pa- tribus 75. dict. & hoc etiam docet Bonacina de cen- suris disputatione 3. punct. 1. §. 1. numero 4. si susci- piam * eodem die minores Ordines, cum Subdia- conatu.

2. Verum contrariam sententiam securam esse docet Suarez de disputat. 31. sect. 1. num. 41. & idem docet Villalob. in sum. tom. 1. tract. 18. diff. 1. num. 7. con- clusio ubi sic asserit. [El que se ordenasse de dos Ordenes el primer día, tiene pena de suspensión, como consta de un texto en aquellas palabras, ab executio- ne officii sacerdotalis tamdiu volumus manere sus- pensum, donec de illo aliter disponamus, y dudam los Doctores si estas palabras contienen suspensión ipso jure, o solamente ferenda, lo qual dexo en duda Pa- norm. Navar. y dize, que es ipso jure, y la llama irregularidad en otra parte, y Suarez dize, que es sola censura ferenda, cuya opinion se puede seguir en practica.] Hæc ille.

3. Notandum

Sup. hoc inf. in tr. 7. lege- lam do- ctinam ref. 31. per tot. & alterius §. ejus annot.